



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 253. An & quale juramentum requiratur ultra triennium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)

nequit, Pith. n. 26. in fin. quia verò præsumitur vehementer conjuges vacasse copulæ die, quo sibi cohabitaverunt lecto, ab eo die cohabitationis computandum dictum triennium, volunt Castrop. n. 3. Sanch. L. 7. d. 110. n. 4. & 5. Gutt. n. 3. cum Abb. in dicit. c. fin. Et hæc quidem spectato juris rigore; nam spectatâ consuetudine, styloque Curia Romanæ triennium illud computandum à decreto Judicis, tradunt Ponc. Castrop. ll. cit. & apud hunc Riccius in pr. decis. 239. n. 1. Farinac. vol. 1. consil. decis. 27. & 277. qui etiam testatur sic sæpe tenuisse rotam. Quod si ante decretum illud Judicis jam præcessit triennalis cohabitatio, arbitrio Judicis relinquatur abbreviatio triennii justis ex causis, tradunt AA. iidem.

Quæst. 253. An & quale juramentum requiratur ultra triennium.

Resp. Ultra triennium reperitur juramentum utriusque conjugum fatentium impotentiam, & jurare debet vir se bona fide & absque dolo copulam intentasse, nec consummare potuisse; mulier verò jurare debet, per se non stetit, quin copula consummaretur. Insuper accedere debent septem propinqui, vel his deficientibus septem vicini bonæ famæ. c. laudabilem. ex his quoque deficientibus alii testes omni exceptione majores, ut Sanch. d. 108. n. 13. Gutt. c. 130. n. 11. Castrop. n. 11. quin & si tot testes haberi nequeant sufficere pauciores arbitrio Judicis, ut Sanch. d. 108. n. 12. Masc. concl. 889. n. 9. Castrop. l. c. Porro hoc juramentum spectato jure communi. c. laudabilem, fieri debere tædis Evangelicis, consuetudine verò præscriptum esse, ut fiat super cruce, ait Castrop. l. c. Sanch. n. 14. Gutt. n. 12. Esse autem dictum juramentum ita necessarium, ut eo deficienti sententia lata pro dissolutione matrimonii sit nulla, tradunt Sanch. n. 6. Ponc. n. 5. Gutt. n. 9. Arg. c. laudabilem. de cetero præter juramentum opus non esse in spectione, dum uterque conjugum fatetur impotentiam, tradunt iidem; cum ea diligentia in hoc casu non requiratur, cit. c. laudabilem.

Quæst. 254. Matrona facturæ inspectio nem quot & quales esse debeant.

1. Resp. ad primum: Matronas depositaras de virginitate aut etiam de impedimento arctitudinis sufficit esse tres vel duas; cum sine expresso textu vel fundamento recedendum non sit à communi regula: In ore duorum vel trium testium stat omne verbum; c. in omni negotio. de testib. Castrop. §. 10. n. 7. Quin etiam Masc. concl. 1174. n. 21. putat, si in oppido sit una matrona tantum, & hæc satis perita, sufficere ejus testimonium. Quod ipsum probabile reputat Sanch. L. 7. d. 113. n. 17. Nec obstat c. proposuisti. de prob. ubi dicitur: Juramento puellæ testimonio septem milliarum mulierum esse potius fidem adhibendam. Nam ibi narratur factum, non autem dicitur necessarium id esse ad attestationem. Castrop. cit. n. 7.

2. Resp. ad secundum: Cum testimonio tali subesse possit deceptio, dum ut D. August. L. 1. de civit. Dei. c. 18. D. Ambros. L. 6. epist. ad Synes. Episc. Veron. Fornicæ corruptæ sæpe se virgines fingant, & fingere possint, debent esse matronæ illæ istiusmodi rerum peritæ, testarique debent juxta artis propriæ peritiam, hoc est, quantum ex propria arte & notitia conjicere possunt esse virginem, aut non habere arctitudinis impedimentum. Item debent esse honestæ, providæ, & prudentes, prout constant ex c. fraternitatis. c. fin. h. r. Porro ut legitime

testari queant, debent illas non tantum inspicere, sed & contrectare manibus virginem, ait Castrop. n. 8. Arg. c. penult. de prob. ubi: Sæpe manus fallitur, & oculus obstetricum. quin & præter has diligentias alias facere posse Judicem, dum hæc ei visæ non sufficientes, v. g. posse vocare medicos; ut & eorum testimonio constet de impedimento arctitudinis; cum in re tam gravi, qualis est dissolutio matrimonii, & digressio ad aliud, nulla diligentia superflua censenda sit, cum Sanch. l. c. n. 28. notat Castrop. n. 8.

Quæst. 255. An & qualiter conjux propria auctoritate recedens ob impotentiam sit restituenda.

Resp. Restituendam esse, nisi in continente probationes certas & evidentes afferat impotentia, quibus, non restitutio, sed matrimonii irriti declaratio facienda. Seclusa verò evidente probatione, recedens est restituendus, antequam quicquam de valore matrimonii audiat aut decidatur; & quidem non tantum ad mutuam cohabitationem, ut vult Sanch. d. 112. n. 8. sed & ut copulæ valent, ut vult Castrop. §. 11. n. 2. Arg. c. ex parte. de rest. spol. eò quod conjuges vi matrimonii contracti possideant jus ad invicem, ad cohabitationem, mutuum obsequiorum præstationem & debiti petiti redditionem, quo jure alterum spolians ante omnia cogendus sit spoliato restitutionem præstare. Limitatur responsio, ita ut si elapso termino ob impotentiam alterius recedat conjux, non statim sit restituendus, sed admittenda prius ejus de impotentia exceptio. Sanch. d. 112. n. 12. Castrop. n. 3. Quod si verò recedat ante triennium experientia, fortius procedat responsio, & nullius momenti sit allegatio impotentia; iidem AA. ll. cit.

Quæst. 256. An & in quibus casibus dissoluto matrimonio ob impotentiam restituendi sint sibi conjuges.

1. Resp. Separatus ob frigiditatem, si de facto aliud matrimonium inire, statim separandus, utpote jam judicatus incapax ad contrahendum matrimonium. Si verò secundum matrimonium consummavit, aut aliam familiam fornicariè cognovit, restituendus est priori conjugii viventi; quia jam constat falsò impotentiam allegasse. Quin & defuncta jam priore conjugio, ab illis secundis nuptiis separandus est; quia nisi potentem se probaverit, & Ecclesiam deceptam, stat contra illum præsumptio impotentia, adeoque incapacitatis contrahendi matrimonii. Ita ferè Castrop. tr. 28. d. 4. p. 14. §. 12. n. 1. citatis Sanch. L. 7. d. 99. à n. 4. Gutt. c. 115. à n. 1. Ponc. L. 7. c. 64.

2. Resp. secundò: Fœmina separata ab arctitudinem absolutam, seu respectu cujuslibet viri, si ineat aliud matrimonium, restituenda priori viro. Si verò separata ob arctitudinem respectivam, seu respectu prioris viri (uti regulariter contingit) non statim separanda à secundo viro & priori reddenda (etsi non levis adsit præsumptio nullitatis secundi conjugii) sed examinandum, an secundus vir sit priori omnino similis, Sanch. n. 15. Gutt. n. 4. Castrop. n. 2.

3. Resp. tertio: Dissoluto matrimonio ob impotentiam à maleficio provenientem elapso triennio experientia aliisque probationibus à jure requisitis adhibitis, nulla facienda restitutio, dum maleficus aliud matrimonium inire, illudque consummavit; cum satis commune sit aliquem esse maleficium respectu unius, & non respectu alterius. Castrop. n. 3. dicens sic videri decisum. c. fin. 33. q. 1. & apud hunc Sanch. d. 65. n. 6. referens alios.

4. Resp